

EMBLEMA XXXIX.

Deo iuvante.

XXXIX

——— *Facilis consensus in altum
succollante Deo.*

Mens humana loci semper cupidissima summi est,
 Et Zebedæiadum vota superba fouet:
 Sed defecta iacens, propriis & viribus expers,
 Nec potis est pennis scandere, nec pedibus.
 Et tamen usque suis votis super exit Olympum;
 Quærit & alterius subuenientis opem.
 Sed lauat æthiopes, & capros mulget olentes,
 Aut auium, implumi cum boue, captat iter,
 Qui stolidus vanis, neglecto Numine, curis,
 Spes tantum humano ponit in auxilio.